

APPENDIX.

21

Aquileiensis per Nobilem Virum Albertum, Co-
mitem Goritiæ, apud Villam-novam sub Rosacio
in aurora diei, dum erat in lecto: & nudipes du-
ctus fuit Goritiam in uno Roncino anno Domini
M. CC. LXVII. die Mercurii XII. exeunte Julio;
nullo alio capto præter Johannem Lucen. & pau-
cis aliis vulneratis.

Tunc subsequenter die IV. intrante Augusto in-
stituti fuerunt in Forojulio Capitanei, D. Alber-
tus Vicedominus Episcopus Concordiensis, & D.
Asquinus de Varmo.

Redemptio Gregorii Patriarchæ.

Gregorius Patriarcha Aquileiensis anno M. CC.
LXVII. die quinta exeunte Augusto exivit capti-
vitatem dicti Comitis Alberti Goritiæ, & condu-
ctus fuit Civitatem; procurato tamen per Ven.
Patrem Wlotislauum Archiepiscopum Salsburgensem
cum ipso Domino Patriarcha, dum erat in capti-
vitate, & cum Forojuliensibus ex parte una, &
cum dicto Comite ex altera, quod fuit per partes
compromissum in ipsum Archiepiscopum, & Domini-
num Regem Bohemiæ, & postea confirmatum.

De intersectione D. Alberti Episcopi Concordiensis Vicedomini Patriarchæ.

M. CC. LXVIII. die III. intrante Julio mense
ante Tertiam apud montem Medeam intersectus
fuit Ven. Pater Concordiensis Episcopus, Vicedo-
minus R. Patris Gregorii Patriarchæ; & quidam
alii cum eo per insidias ei impositas per fautores
D. Alberti Comitis Goritiæ.

De exitu Exercitus, & de destructione pontis..... Goritiam.

Dicto anno die Veneris V. exeunte Julio, exi-
vit Gregorius Patriarcha Utino cum suo exercitu
contra dictum Comitem. Et tunc die XII. Au-
gusti destrunctus, & dirutus fuit pons Isuntii pro-
pe Goritiam. Reversus est die penultima Augu-
sti Civitatem; facto iterum Compromesso inter
dictas partes.

De Conradino devicto.

M. CC. LXVIII. die XXII. Augusti in octava
Assumptionis devicit Rex Carolus Conradium,
qui volebat Regnum Apuliae.

De obitu Gregorii Patriarchæ.

M. CC. LXIX. die VIII. intrante Septembri,
hora sexta, in Civitate Austria Gregorius Pa-
triarcha Aquileiensis obiit in Domino, qui ex-
tit Patriarcha XVII. annis, X. mensibus, &
XVI. diebus.

De electione Domini Ducis Carinthia in Capitaneum Forijulii.

Dicto anno die XIV. intrante Septembribus, No-
bilis Vir Voldricus, Dux Carinthia, electus fuit
per Forojulienses in Capitaneum Forojulii. Qui
eodem anno die V. exeunte Octobri, mortuus est
in Civitate Austria.

De electione D. Philippi in Patriarcham Aquileien- sem, & ejus cassatione.

M. CC. LXIX. exeunte Septembri, D. Philip-
pus, frater dicti Ducis Carinthia, olim Archie-
piscopus Salburgensis, electus fuit in Patriarcham
Aquileiensem. Sed privatus fuit per Summum
Pontificem Gregorium X. & Curiam Romanam,
eo quod electio Patriarchalis fuerat ante dictam
electionem per Romanam Curiam interdicta. Qui

Tom. II.

1 cum, Apostolica Sede vacante, non confirmare-
tur; receptus fuit, salvo jure electionis Patriar-
chalis, in Capitaneum Forojulii. Et tunc die Jo-
vis in festo S. Gervasii equitavit cum exercitu su-
per D. Artuicum de Castello, fautorem Comitis
Goritiæ, nomine Alberti; comburendo, & run-
cando bona sua ad burgum Castelli.

De grandi tempestate.

M. CC. LXX. in festo S. Vodolici die IV....
cedidit in Civitate Austria, & circa Civitatem
grando grossior ovis gallinaceis multo: quæ fru-
ctus terræ, & arbores, atque frondes.... & cor-
tices abstulit: volatilia, & etiam quadrupedia,
quæ reperit extra domos, interfecit, & etiam
homines, ut ferebatur.

De Captione Civitatis per Federicu de Pinzano.

M. CC. LXXII. in Vigilia S. Matthiae die Bis-
sexti V. exeunte Februario, Federicus de Pinza-
no, qui tunc Vicarius erat D. Philippi Capitanei
supra scripti in Forojulii, furtive tamen circa ho-
ram tertiam, jam dicta Missa in Majori Eccle-
sia, armata manu intratis Civitatem Austriam,
Dominis Johanne & Wodolrico fratribus de Por-
tis ipsum introducentibus fraudulenter & quasi pa-
cifice tanquam amicum Civitatem, eis dicen-
tibus publice quod non veniebant causa mali; ce-
pit Civitatem cum illis de Prata, & Purcilleis,
& Villalta, ubi multorum abstulit bona: quo-
dam Utinum, quosdam alio ad suum beneplaci-
tum transmittendo, & quosdam captivando: Car-
lucium Civitatensem, & unum.... decapitando:
Sophiam Florettæ comburendo, & volendo in a-
lios decapitare; imposito eis, quod Terram dare
vellet Forensibus. In captione Terræ nullus vul-
neratus fuit, nec percussus.

M. CC. LXXII. die Dominico VIII. intrante
Majo, in aurora, captus fuit Burgus-pontis Ci-
vitatis per Forojulienses fideles Ecclesiæ Aquileien-
si, & quosdam Theotonicos Domini Regis Bohe-
miæ, invidentes Federico de Pinzano, sicut di-
ctum fuit, quia nullo defendantे, vel læso intra-
verunt.

Eodem die supervenit Nobilis Vir Volricus Dur-
nolz, Capitaneus Regis Bohemiæ, cum exerci-
tu magno, hora vespertina; & obsederunt Ci-
vitatem.

Item eodem die cum Burgus-pontis captus fuit,
dictus Federicus de Pinzano fecit comburi Bur-
gum S. Petri, & Burgum S. Silvestri: & in no-
te sub sequenti dirui pontem lapideum Burgi S.
Petri.

Die vero Sabbati sequenti Civitas data fuit di-
cto Capitaneo, & claves Civitatis ei assignatae fue-
runt in Ecclesia Sancti Stephani per D. Detalmum
de Villalta, qui fautor D. Federici erat in Ci-
vitate, & per quosdam Civitatenses.

De Fulgure.

M. CC. LXXII. in Vigilia S. Johannis de Junio
percussit fulgor in quodam Monte apud Isuncium;
ita quod mons ardens pluribus diebus emisit fumum
cotidie ad quantitatem domus ardantis.

De adventu Patriarchæ Raymundi.

M. CC. LXXXIII. die XI. exeunte Decembri fa-
tus per Alexandrum (a) Papam, & Curiam Ro-
manam, Ven. Pater Raymundus Mediolanensis,
Episcopus Cumanus, Patriarcha Aquileiensis. Ve-
nit autem in Forumjulii, videlicet Sacilum, an-
no M. CC. LXXIV. die Jovis II. intrante Augu-
sto;

(a) Gregorium X.